

... *tirent fuisse testatur. Sed ne originem civitatis eiusdem nude trascucurrisse videamur: antiquissimis haec temporibus Tantalis vocitata est. Quam terra ipsa consumpsit hiatu scilicet interceptam ibique postea oppidum constitutum, cui Sipylo nomen inditum. Pleraeque aliae 5 maris inundatione demersae sunt: quarum fuit Leucadia, Antirrhion, Hellespontus, Bosphori duo; ut Pyrrham et Antisam circa Maeotin paludem Pontus abstulit, ut Hellenicem et Buram sinus Corinthius devoravit. Satis autem oratorie commemorans istius civitatis devotissimam circa 10 Romanos fidem minuit opes eius et exigua moenia et parvum numerum civium dixit, quibus tamen maximos regis Mithridatis impetus propulsaverit, fide et amore scilicet quam virium facultate robustior. Et est quaedam laudativa sententia ... 15

Frgm. VI Sed si neque Asiae luxuries infirmissimum tempus aetatis.

Mores inlustrantur eius, quem non potuerit Asia multiformi voluptate corrumpere. Similis et in L. Murenae defensione sententia est. Verum, quod hic magis animadver- 20 tendum puto, consideremus omnium horum capitum transitus oratorie factos. Ita enim sibi conectuntur, ut gradus honorum cum quadam testificatione cognitae simul et